

**Rectore Academiae Magnificentissimo, Serenissimo Principe Ac Domino Domino  
Friderico ... Centvriam Aphorismorum Potissimum Physiologicorum**

Rostochii: Typis I. I. Adleri, [1753?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862404770>

Druck Freier  Zugang





(Lehrbuch zwei Tafeln. (Nr. 2 - 15.) )

Mb. 1541. (2.)<sup>1-22.</sup>

## Contenta.

- 1, Becker de Natura Corporis humani.
- 2, Buchwald Descriptio omenti anatomica.
- 3, Burchard de Ossiculo quodam Sesamoides in osse frontali reperto
- 4, Eiusd. de Arteria Palatina.
- 5, Georg. Petharding Anatomia iacunda et utilis Specimen
- 6, Eiusd. de Ingressu aëris per poros cutis.
- 7, Eiusd. de Subactione alimentorum in ventriculo
- 8, G. C. Petharding Centuria Aphorismorum Physiologicorum
- 9, Eiusd. de Corpore Humano semper mutabili
- 10, Eiusd. Dissert. Sectio II.
- 11, Eiusd. Programma invitator. ad Anatom. Publ.
- 12, Eiusd. Progr. aliud simili occasione promulgatum
- 13, Amberger de Respirationis Mechanismo et Usu
- 14, Eiusd. de Calore Humano naturali.
- 15, Hilcher Progr. de Aethiope Minerali.
- 15, Juncker de Tunica Retina et Neruo optico.
- 16, Rhades de Ferro Sanguinis Humani
- 17, Kulmi de <sup>Accessu</sup> Ingressu aëris per pulmones in Sanguinem dubio.

18.) Lembrsen Anatomie Nucleus.

Eiud. Progr. de anatomia Utilitate

19.) Quellmaß De Venis Absorbentibus

20.) Schultze de Mechanismo Musculorum Abdominalium.

21.) Stentzel de Vestigiis Circuli Sanguinis apud Hippokratem.

22.) Eiud. de glandularum in plurimis visceribus absentia.

2.2



J. L. Becker

1756

RECTORE ACADEMIAE  
MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DOMINO FRIDERICO**  
PRINCIPE HEREDE MEGAPOLITANO, VANDALORVM,  
SVERINI AC RACEBURGI, COMITE ITEM SVERINENSI,  
TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE DYNASTA,  
DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO.

**CENTVRIAM**  
**APHORISMORVM POTISSIMVM**  
**PHYSIOLOGICORVM,**

SVB PRAESIDIO  
**DN. GEORGII CHRISTOPHORI**  
**DETHARDINGII,**

FACVLT. MED. ET COLLEG. DVCAL. PROFESS. SENIOR, VT ET  
SERENISS. DVC. REGNANT. MEGAPOL. CONSIL. AVLIC.


AD DIEM XIX DEC. A. MDCCLIII.

IN AVDITORIO MAXIMO,  
PVBLICÆ DNN. COMMILITONVM VENTILATIONI  
SVBMITTET

**CONRADVS ERNESTVS ENDTER** ALTONAVIENSIS  
MEDIC. CVLTOR,

**ROSTOCHII,**  
TYPIS I. I. ADLERI, SEREN. DVCIS AVL. ET ACAD. TYPOGRAPHI.

8.





## PRAEFAMEN.

**D**isputationum academicarum triplex solet esse scopus ; Vel enim in eruendis, aut in apricum magis producendis veritatibus, hucusque non satis perspicuis, versantur auctores, publicam prolatorum disquisitionem expectantes ; Vel documentum exhibitae in Academia eruditionis, quo palam constet, an gradibus vel honoribus, quos ambiunt, digni iudicari possint, cuius generis esse solent Disputationes solemnes, Inaugurales inde dictae ; Vel exercitii saltem gratia instituuntur, ut occasio discendi cupidis suppeditetur, volubilitatem

A 2

linguae

linguae acquirendi, iudicium acuendi, vera a speciosis, genuina a fucatis discernendi, et a praediciis auctoritatis et praekonceptae opinionis se liberandi. Hunc ultimum nobis praefixum esse, praesentes pagellae, vel nobis tacentibus, docent, ob temporis penuriam festinanti calamo concinnandae. Theses in se continent, ex fonte potissimum physiologico depromptas, et ad dubia vexata referendas, ut habeant in conflictu publico dissentientes, quibus ingenium exercere, et ad acroases hisce maiores se eo magis praeparare possint. Praeentes in tali negotio habemus Medicos celeberrimos, v. gr. Hoffmannum, Crausium, aliosque, ut vestigia horumdem legere, absque formidine interpretationis sinistrae, queamus. Faxit Summum Numen ut et haec conamina ad nostra vota succedant!



APH. I.

Aph. I.

Physiologia est quidem pars physices, maiori tamen iure  
medicina eandem sibi vindicat.

Aph. II.

Sunt quaestiones theologicae, quae decisionem ex phy-  
siologia expectant.

Aph. III.

Quodsi Justinianus physiologiae gnarus fuisset, multas  
leges condidisset magis adaequatas.

Aph. IV.

Medicus, qui physiologiae notitia caret, empiricis me-  
rito est adnumerandus.

Aph. V.

Anima humana verum est obiectum physiologiae.

Aph. VI.

Quidquid de anima humana nouimus, nouimus a po-  
steriori, aut ex reuelatione.

Aph. VII.

Nonnisi vna anima homini est concessa, quae actionibus  
ab illa deriuandis satis est sufficiens.

Aph. VIII.

Dogmata inter mechanicorum et organicorum, prae-  
stat medium tenere, nec adeo difficilis hicce syncretis-  
mus, modo hyperbolicae motuum et sensuum explicationes  
tollantur vtrinque familiares.

Aph. IX.

Harmonia inter corpus et animam praestabilita est dif-  
ficillima intellectu, imprimis in explicandis motibus sic  
dictis voluntariis se inuicem excipientibus.

Aph. X.

Corporis humani actus singulos cum automato com-  
parare

parare velle, est aequae rationi consonum, ac horologium dicere rationale.

Aph. XI.

Inter vitam et mortem videtur aliquando esse quoddam interuallum.

Aph. XII.

Paucissimi homines morte naturali conficiuntur, et causa mortis naturalis physica vix ac ne vix quidem suspeditari potest.

Aph. XIII.

Longaeuitatis antediluvianorum fundamentum frustra in causis physicis quaeritur, potius in feliciori propagatione generis humani, et multiplicatione incolarum terrae.

Aph. XIV.

Sapienti facile obtingit longa aetas, non tam facile erudito, hoc citius stupido.

Aph. XV.

Diuisio aetatis hominum in quatuor periodos est reliquis praeferranda, quia cum mutationibus corporis magis solemnibus conspirat.

Aph. XVI.

Cur hae mutationes numerum annorum septenarium respiciant, explicatu est difficillimum.

Aph. XVII.

Quodsi in prima aetate negotium vitale turbatur, adplicatione nimia ad studia, vel res serias, non corrigitur in altera; hinc vix non semper filii e plebe, robore corporis et valetudine, per omnem vitam antecellunt liberos procerum, imprimis praecoces.

Aph. XVIII.

Secunda aetas tristitia praefagit per reliquam vitam masculis

sculis, sicubi tempus generandi quoquo modo anticipent, pariter frequens partus senectutis molestias accelerat.

Aph. XIX.

Tertia aetas, et quoad robur corporis, et quoad vigorem animi, herculea dicenda; prouti quarta, laborum requies.

Aph. XX.

Efficacia annorum climactericorum, si ad experientiam attendamus, eadem certitudine nititur, qua cometarum infaustus influxus, id est nulla; quivis annus mortalibus funestus esse potest, et observamus, plures infantes prius mori, quam primum annum climactericum adtigerunt.

Aph. XXI.

Quivis homo in vtero materno matrimonio destinatus est.

Aph. XXII.

Exempla puellarum in vtero materno iam grauidarum iure inter figmenta collocanda.

Aph. XXIII.

Feminas non esse nisi mares inuersos, exsuperanti phantasia praediti saltem sibi persuasum habent.

Aph. XXIV.

Formarum spectatores ut plurimum falluntur, qui speciosas virgines ducunt in matrimonium, ut vxores habeant venustas, nec enim non veritate physica nititur tritum: **Schöne Jungfern, garstige Frauen.**

Aph. XXV.

An Adamus fuerit albus vel niger, problematice disputari potest, nec enim Aethiopes destituuntur pulchritudine.

Aph. XXVI.

Notitia temperamentorum non habet osiores, nisi ignorantibus, imprimis medico scitu est necessaria.

Aph. XXVII.

Aph. XXVII.

Eadem non ad stateram mathematicam est examinanda, hinc sibi aliisque illudunt, qui calculum differentiae ex varia proportione salis, olei et terrae tradunt, et pro varia horundem miscela, temperamenta ad pondus determinant.

Aph. XXVIII.

Pariter ex amore rationali, ambitione, auaritia et voluptate non nisi imperfecte temperamenta derivantur, quia mere moralia non dantur.

Aph. XXIX.

Verum temperamentorum fundamentum consistit in certa proportione inter solidas et fluidas partes, et inde oriunda diuersa reactione, cum qua actus morales conspirant.

Aph. XXX.

Qui non intelligit, quo temperamento gaudeat, frustra laborat in aliorum temperamentis dignoscendis.

Aph. XXXI.

Educatio, aetas, diaeta, et morbi valent admodum ad temperamenta mutanda.

Aph. XXXII.

Omne temperamentum est simplex, et declinationes multivariae, melioris intellectus ergo, compositorum nomine veniunt.

Aph. XXXIII.

Sanguineus si duxerit sanguineam, domus prole, non diuitiis abundabit.

Aph. XXXIV.

Sanguinei potando euadunt phlegmatici, abhinc cachectici, et sperato citius candidati mortis.

Aph. XXXV.

Phlegmaticos mutatio aetatis, vitae genus laboriosum, proba educatio, morbi graues, adeo corrigere valent, vt fiant sanguinei.

Aph. XXXVI.

Aph. XXXVI.

Virgines phlegmaticae, mediocris formae, haud raro euadunt in uenustas uxores.

Aph. XXXVII.

Dantur plures cholericus in secunda et tertia aetate; sed plures cholericae in quarta.

Aph. XXXVIII.

Puros cholericos reddere mansuetos, ultra sphaeram scientiae humanae est repositum, hinc omnis philosophia iram compefcendam illis inculcans, praeter curam palliativam, id est adparenter talem, nil iuuaminis adfert.

Aph. XXXIX.

Mutatio temperamenti cholericus in sanguineum raro, contrarium vero saepius contingit.

Aph. XL.

Datur temperamentum melancholicum, licet succus melancholicus non detur.

Aph. XLI.

Quoad res arduas decenter expediundas, omnia tempera-  
menta cedunt melancholico.

Aph. XLII.

Melancholicos et stultos habere pro synonymis, si non ignorantiam doctrinae de temperamentis sapit, sapit convici-  
cium, nec enim dantur magis iudiciosi, caueant modo, ne imitentur sanguineos.

Aph. XLIII.

Melancholicos infortunatos Croesus prae Demosthene solatur.

B

Aph.

Aph. XLIV.

Quanta sit necessitas alimentorum, pro vita continuanda, dari tamen afitos, negari nequit, frequentius tamen inter bruta quam homines.

Aph. XLV.

Ad famem et sitim reos condemnare, quo moriantur, crudelitatem innuit.

Aph. XLVI.

Veritate physica nititur axioma Arabum: qui non manducat, odit animam suam.

Aph. XLVII.

Citra révelationem nosse potuit Galenus, Medicus gentilis, quando scribit: Chylificationem opus non humanum, sed diuinum esse.

Aph. XLVIII.

Medice cibari est optime, et pessime cibari,

Aph. XLIX.

Consilium magni quondam Jcti, ad longaeuitatem ferarum perveniendi, spretis statis horis, et monente saltem fame et fiti, cibum et potum adsumere, possibilitatem quidem physicam, non vero moralem inuoluit.

Aph. L.

Quamuis cibi in ventriculum delati ordinem non feruent, peccant tamen, qui inordinate illos capiunt.

Aph. LI.

Saliua, liquor gastricus, succus pancreaticus, bilis hepatica, et lympa intestinorum chylicationi plus velificantur, quam praestantissimae sic dictae aquae vitae.

Aph.

Aph. LII.

Motus corporis et cibus adfumendus sunt bilances, quibus vita et fanitas ponderari possunt et debent.

Aph. LIII.

Respiratio tam in sensu proprio, quam metaphorico, est opus magnorum halituum; quantum enim in ea explicanda desudauerint Physiologi celeberrimi, nondum tamen negotium hoc videtur esse absolutum.

Aph. LIV.

Experimenta cum brutis aqua submersis instituta, vtrum aqua pulmones et ventriculum ingrediatur, quaestionem illam nondum decidunt, dum tot exempla in contrarium adduci possunt.

Aph. LV.

Absque pulmonibus homines vixisse, fallaciam anatomicam sapit.

Aph. LVI.

Vita non incipit inspirando, finitur tamen expirando.

Aph. LVII.

Qui aquis, vel laqueo pereunt, suffocantur non ex defectu, sed ex abundantia aëris in pulmonibus.

Aph. LVIII.

Primi ploratus infantum causa est extensio pulmonum ab aëre, sub primo inspirationis actu.

Aph. LIX.

Non semper tamen respirat infans viuens, statim ac in lucem est protrusus.

Aph. LX.

Halitum humanum morbos inferre, et fermentationi

obnoxia corrumpere posse, aequè verum est, ac falsum; illo fascinum immitti.

Aph. LXI.

Mater inflationis faciei, quae spectris tribuitur, est terror ab aura in tenebris spirante.

Aph. LXII.

A motu pulmonum maiora commoda corpus experitur, quam a motu cordis; ab utroque tamen mirabilia.

Aph. LXIII.

Quantitas sanguinis nec in homine decollato mensurari potest, quia haud exigua portio eiusdem intra fibras recondita manet.

Aph. LXIV.

Cordis motus perennis, et ad ultimum vitae halitum indefatigatus, ad miranda naturae referendus.

Aph. LXV.

Arteriis motus systalticus et diastalticus iure competit.

Aph. LXVI.

Sanguinis circuitum iam Hippocrati notum fuisse, ex monumentis huius senis vix extorqueri potest.

Aph. LXVII.

Non tantum sanguis, sed et plurimi humores a sanguine secreti iterum circulantur.

Aph. LXVIII.

Termini colationis, filtrationis, cribrationis, emunctionis, fermentationis, negotium secretionis perfecte non explicant, quia singula phaenomena sub illa obuia non solvantur. Iungendus hisce potest modus adhaesionis fluidorum.

Aph.

Aph. LXIX.

Differentia inter adcretionem et nutritionem, licet a multis spernatur, cuius tamen homini scitu necessaria, arceat enim varios morbos, quia arceat errores grauissimos illos inferentes,

Aph. LXX.

Dum centesima circiter portio adsumtorum corpori viuenti in adcretionem, millesima in nutritionem cedit, patet ieiuniorum, pro miraculis vulgo habitorum, vera ratio,

Aph. LXXI.

A transpiratione insensibili mille commoda in oeconomiam animale reduntant.

Aph. LXXII.

Sapor falsus, quem mulierculae, frontem infantis lambentes, pro signo fascini habent, particulis salinis, mediante sudore ex poris cutis egressis, tribuendus,

Aph. LXXIII.

Praestat a teneris vario aëri, magis adhuc frigido adfuescere, quia nocumenta abhinc sunt minora,

Aph. LXXIV.

Sanguis, licet videatur esse humor homogeneus, ex variis tamen, iisdemque diuersissimis partibus, constat.

Aph. LXXV.

Sanguinis e vena missi inspectio, pro iudicio de illo ratione valetudinis formando, fallaciarum plena est, hinc prudentiores ad illam non attendunt.

Aph. LXXVI.

Vrosopia vna veritate mille vendit mendacia, exercitatissimus in illa scientia ridet, dum decipit.

Aph. LXXVII.

Falluntur, qui mucosa, prouti excernuntur, sanguini innataffe sibi persuasum habent: magis falluntur, qui ad illa, pro probanda mucositate sanguinis, prouocant: maxime falluntur, qui filamenta vel strias sanguineas, in aqua a sanguine misso obuias, mucosum sanguinem esse, sibi vel aliis persuadent.

Aph. LXXVIII.

Non datur excretio mucosa, ubi mucus non prius corpori usum praestitit, quam fuit excretus.

Aph. LXXIX.

Nec nasus, nec pulmones sunt loca excretioni mucidorum destinata, potius intestinis hocce officium competit.

Aph. LXXX.

Qui saccharata damnant, quod mucum sanguini concilient, vel auaritiae, vel ignorantiae insimulandi sunt.

Aph. LXXXI.

Bilem flauam qui nuncupant: böse cholerische Feuchtigkeiten, sunt hospites in physiologia, quia bilis commoda necessaria corpori adfert.

Aph. LXXXII.

Pinguedo ex numero partium corporis humani nequaquam excludi potest.

Aph. LXXXIII.

Experimenta pro irritabilitate partium detegenda, non ita pridem instituta, licet sint satis egregia, haud tamen semper ab illis ad statum naturalem concludere licet.

Aph. LXXXIV.

Anima in negotio sensus se non habet mere passive.

Aph.

Aph. LXXXV.

Qui cerebrum habent pro instrumento musico, ut machina animæ sit, cogitationes vero pro certo motu chordarum cerebri, hunc motum demum constituere ideam, dicunt aliquid, non vero multum.

Aph. LXXXVI.

Doctrina de motu tonico est amplissimæ in medicina utilitatis.

Aph. LXXXVII.

Mensium fluxus non dependet ab abundanti sanguinis in femellis quantitate.

Aph. LXXXVIII.

Merito dubitandum, annon scrutinium generationis et conceptionis plures scrupulos in negotiis his intelligendis adtulerit, quam lucem.

Aph. LXXXIX.

Observatio Dalempazii, qui animalculum feminale, detracta superiora versus pellicula, in verum homunculum commutatum esse, se vidisse scribit, imaginaria esse videtur.

Aph. XC.

Argumenta pro probanda nutritione foetus in utero per os passim adducta nondum probant, quod probare debent.

Aph. XCI.

Homini æque, ac omnibus brutis certum pariendi tempus est destinatum, hinc relationes promiscuæ de partu terminis infra vel supra debitum tempus, sapiunt paralogismos vel physicos, vel juridicos, vel medicos, hi tamen sunt excusandi, quando in favorem matrimonii interdum pro consulente decernunt.

Aph. XCII.

Dantur tamen abortus vitales, facile a vero partu discernendi,

Aph.

Aph. XCIII.

Vagitus uterinus, et suffocatio foetus in utero sapit nimiam muliercularum credulitatem, et virorum pro omnibus inde colligendis supinum adfensum.

Aph. XCIV.

Molas vivas ex utero fuisse exclusas, anilibus fabulis adnumerandum. Rationi tamen non repugnat, uterum flammam eructare posse.

Aph. XCV.

Mammae in sexu masculino, aequae ac feminino utilitatem adferunt.

Aph. XCVI.

Infantes haud ultra annum lactandos esse, ex principiis physiologicis demonstrari potest.

Aph. XCVII.

Cum lacte vitia matris et nutricis infanti communicari posse, et ratio et experientia dicitur.

Aph. XCVIII.

Puellas infra annum decimum quartum concipere et parere posse, non est impossibile.


Aph. XCIX.

Metamorphosis puellarum creditarum in pueros est possibilis, sed non versa vice.

Aph. C.


Varia individua fuerunt habita pro hermaphroditis, qui, rite instituto examine, titulum hunc non meruere.





NON ERGO ET QUESITUM  
DOMINO RESPONDEVI  
PRÆSES

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*





rorulis, aliisque partibus, artificiosissimo nexu  
fitum, hoc in perpetuum stabile & immuta-  
raret, si quando leuissima obueniens læsio  
rotulæ, vel particulæ repararetur. Idem &  
de corpore humano semper refecto.

ferruminatio a tot vicibus iteratis sanguinis ad  
ictibus dependeret, sane, nostro quidem  
haud diu duraret integritas corporis, quin  
innotuisset, ad motum vltiorem inhabilis  
tur, lateribus subtilissimorum canaliculorum  
saepe tangentibus, & a glutine sanguinis  
counectendis.

prostat ratio sufficiens mechanica, cur certæ  
in periodo sit adstricta mutatio corporis vegeti-  
cum & infirmum, & vt exemplum speciale  
us, cur circa septimum septenarium in  
sanis licet & valentibus, fluxus menstruus,  
hoc dispositio ad concipiendum cesset, in viris  
nonnumquam imbecillibus, hæc facultas  
di diutius duret.

a mechanica illa necessitate, imbecillitates seniles  
naturalem inducentes orirentur, sane ante  
, & inter hos Metusalah senectutem illam  
nunquam fuissent adepti; haud enim credi-  
m eisdem a DEO fuisse concessam naturam  
oleum, longævitati huic, nobis insolitæ,  
am, vel miraculo cuidam, vel terræ post  
immutatæ, vel abstinentiæ a carnibus  
multa secula prorogata vitam adtribui posse,  
ichus post diluuium, trecentos & quinquaginta  
refecerit.

E

§. XXXVI.

the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE203 Serial No. 03